

quam futurorum Christi fidelium presentem cartulam in-tuentium volumus pervenire, quod episcopus Wirceburgensis Gotefridus bonę memorię decimam quandam in Welbehusen domino Alberto de Entse concessit, ignorans illam ecclesię s. Michahelis in Babenberc pertinere. Deinde predictus Albertus Arnoldo de Gollehoven eandem decimam inbeneficiavit. Porro procedente tempore dominus abbas predicti monasterii Wolframms nomine et fratres eius querimoniam proposuerunt de invasione decimę suę et iam dictus episcopus cognita negotii veritate, videlicet quod eadem decima ecclesię sancti Michaelis pertineret, quod ignoranter fecerat, meliori consilio retractavit. Veruntamen dictus Albertus et Arnoldus ab invasione sepredictę decimę manus violentas retrahere noluerunt, licet frequenter fuerint excommunicati tam ab episcopo Gotefrido quam ab eius successore domino nostro Heinricho, donec tandem sanctę Romanę ecclesię summus pontifex Celestinus causam eandem nobis discutiendam et decidendam delegavit et annuente deo in presentia nostra, multis astantibus tam clericis quam laicis, probatę opinionis predicti invasores, qui multo tempore rebelles extiterant, tandem convicti et in se reversi ab illa violenta invasione et iniuria deinceps se cessaturos promiserunt manuque et calamo huic invasioni perpetualiter abrenunciaverunt. Igitur ne huius negotii veritas a posteriorum excidat memoria, sicut dominus noster episcopus Heinrichus suo privilegio et sigillo eam corroboravit, ita et nos, qui a summo pontifice delegati iudices eiusdem causę extitimus, nostro testimonio et scripto rogatu venerabilis abbatis prememorati monasterii et fratrum suorum posteris eam ac presentibus declaramus.

Testes: Wernherus prepositus de monte sancti Iohannis, Wortwinus prepositus de novo monasterio, Ditricus prepositus de Onoldesbach, Heinrichus scolasticus, Gotefridus cantor, Heinrichus de Nūwenburg, Eberhardus de Marmore, Gerlacus, Gozwinus de Trinperc, Regenoldus de Osternahe. Laici: Heinrichus de Ravensburc, Heroldus de foro, Heinrichus de Osterburc et frater eius Gotefridus, Ruccherus et Emehardus de Būtrieth, Nidungus, Helwicus albus et filius eius Heinrichus, Cōnradus scultetus de Cuningesburc, Wicmannus et frater eius Bernolfus et alii quam plures. Anno incarnationis domini MCLXXXVIII, imperatore Heinricho; feliciter.

---